



# The Holy See

---

PIUS PP. XI

EPISTULA

**QUOD ANNUM\***

AD R. P. D. CAROLUM GIBIER, EPISCOPUM VERSALIENSEM,  
QUINQUAGESIMUM SUI SACERDOTII NATALEM CELEBRATURUM.

*Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.* — Quod annum sacerdotii quinquagesimum die septimo proximi mensis expleturus es, tale Nobis videtur eventum, quod non modo clerus populusque tuus tibi de se tam praeclare merito gratuletur, sed Nos etiam publice participando nobilitemus. Plenam enim bonorum operum vitam sacerdos atque episcopus egisti, et, multiplices inter officii tui curas, plus triginta ad Ecclesiae doctrinam inlustrandam tuendamque edidisti volumina, eademque communi iudicio probatissima. Atque, ut nonnihil de rebus episcopatus tui gestis delibemus, novimus equidem te, hoc annorum septemdecim spatio, diocesim istam longe in melius mutasse. Quae enim clero suo, neque abunde collecto, prorsus carebat, ea iam suos habet sacerdotes satis multos atque haud mediocrem alumnorum numerum qui sacris disciplinis excoluntur. Quod profecto tuae debetur sollertiae, utpote qui vocationum Opus sic constituens eiusque tam studiose curaveris incrementa, ut dioecesis fideles in partem impensae ac sollicitudinis tuae libentius quidem veniant ac largius. Mittimus magnum numerum earum quas e solo excitasti sacras aedes parochialesque aulas; at vero praeterire silentio non possumus mirabilem illam Coetuum e singulis paroeciis et decanatibus, quos vocant, ordinationem; qui Coetus tam apte inter se coniunguntur, ut omnium actio ad unum eundemque exitum dirigi percommode queat. Quamobrem facile intellegimus, religionem in populo tuo pietatemque revixisse: quae, ceteroquin, ut ita revivisceret, ipsum quoque vitae tuae piissimae ac pauperioris effecit exemplum. Fruere igitur properantis huius eventi solaciis, tuamque laetitiam scito Nostram aequae laetitiam esse. Rogamus autem benignissimum Deum, velit te gregi tuo multum diuque servare incolumem, cuius in bonum paratus es animo, quantum aetatis ac virium supererit, nunquam quiescendo, insumere. Caelestium interea donorum auspiciem paternaeque

benevolentiae testem, tibi, venerabilis frater, et clero ac populo tuo universo apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

*Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XV mensis Maii, anno MDCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.*

**PIUS PP. XI**

---

\*A.A.S., vol. XV (1923), n. 7, pp. 340-341

---

©Copyright - Libreria Editrice Vaticana